



19

IN NOMINE IESU !
 METHODICA
 PRÆCIPUO-
 RUM ARTICULORUM
 FIDEI, SECUNDUM ORDINEM
 SYMBOLICUM ARTICULORUM
 SCHMALCALDICORUM RE-
 PETITIO,

Cujus
 DISPUTATIONEM I.

De Schmalcaldi-

cis Articulis in genere,
 PRÆSES

JOHANNES Deutschmann/

D. & P. P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,
 ET RESPONDENS

M. SIMON FRIDERICUS FRENZELIUS,
 Facult. Phil. Adjunct.

proponent
 Ad d. Maij

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Haken, Anno 1663.

IN NOMINE IESU

METHODICA

PRÆCIPUORUM

ARTICULORUM

FIDEI, SECUNDUM ORDINEM

SYMBOLICUM ARTICULORUM

SCHMALKALDICORUM RE

PETITIONE

Capitulum

DISPUTATIONEM I.

De Schmalkaldicis

Articulis in genere

et specie

JOHANNES SCHNEIDER

D. & P. P. ac Alumnorum Eborac. Episcopi

et Regiam

M. SIMON FRIDERICUS FRENZELIUS

Facult. Phil. Acad.

procurator

de

KITTENBERG, Typo Johannis Haken, Anno 1673

Magnam in Ecclesia semper extitisse *Symbolorum* autoritatem, inter Ecclesiae verae genuinos cives nunquam in confesso non fuit. Extant antiquissima *Symbolorum* encomia, vel elogia, passim apud *Patres*, nec diversum ab his recentiores *Ecclesiae Doctores* tenuerunt. *Symbole* sunt *Ecclesiae Confessiones*: *Ecclesiae* membra qui sunt, *Confessiones* *Ecclesiae*, doctrinaeque consensum publicum, in *symbolis* traditum, grata mente suscipiunt. Quotquot a *Novatorum Symbolorum* autoritatem vel dubiam, vel nullam efficere praesumunt, certe graviter in Ecclesiam non tantum & *symbolicum doctrinae consensum*, sed in ipsam etiam *doctrinam*, publicis *symbolis* comprehensam, illi delinquent. Facile proinde comparet, qualis Ecclesiae Doctor sit *D. Dreier*. qui suam de *Syncretismo* publicam *Orationem*, sub *Rektoratus* abdicatione *Domin.* *Quasimod.* Anno 1661. sine publicorum *Ecclesiae Symbolorum* traductione recitare noluit inquit. *Ubi sunt isti libri Symbolici recepti? Num apud Gracos? Num apud Armenos? Num apud Aethiopes? Num apud Indos? Num apud Russos & Moscos? Num apud Pontificios? Num apud Reformatos? Quod si ergo omnia, quae in libris istis continentur, ad conservandam Ecclesiam sunt necessaria, ut sine iis Ecclesia consistere non possit, sequitur, quod Ecclesia in toto terrarum orbe interierit, & in parte Lutherana sola remanserit. Salvete Novatiani, salvete Donatista, salvete Luciferiani, salvete Schismatici, salvete Heretici! Nos Ecclesiasticis *Symbole* nec primam, nec ultimam autoritatem tribuimus, mediam tamen iisdem eripere non debemus. Ecclesiam non *symbole*, sed *scripta* tum *Prophetica*, tum *Apostolica*, juxta *Paulum*, aedificant *Eph. II. 20.* Ecclesiam quoque *Verbum Dei* conservat, nec absoluta requiritur *Symbolorum* in Ecclesia necessitas. *Contra D. Dreierum* tamen, aliosque *Pacis Ecclesiasticae* turbatores, & doctrinae sincerioris corruptores, omnino *symbole* sunt necessaria. *Symbole* opus est, ut orthodoxi *Confessores* inter se mutuò cognoscantur, & à quibusvis tum *apertis hereticis*, tum *falsis fratribus*, doctrinae consensum vel prorsus negantibus, vel *Syncretisticis* studiis labefactantibus, accuratè per talia *Doctrinae**

purioris *Symbola* dignoscantur. *Ecclesiae Symbola* qui rejicit, in-
 ter cives *Ecclesiae* genuinos numerari quomodo poterit? Re-
 prehensione proinde dignissimus est, *Symbolorum Ecclesiasti-*
corum sive neglectus, sive contemptus. *Syncretista*, cum inten-
 tioni, vel potius confusioni suae, *Symbolorum* auctoritatem ob-
 stare deprehendant, ad *Symbola* non amplius vel alligari, vel ob-
 ligari volunt. *Quid mihi cum Formula Concordiae?* dixit in *Dispu-*
tatione publica Latermannus Dreierus, referente *Minister. Regio-*
mont. peculiari scripto coram *Academico Senatu, Statibusq;* *Pro-*
vincialibus asseruit: *Non alligandi sumus ad libellos symbolicos.*
Quod Formula Concordiae, quod Corpus Prutenicum dicit, vel alius
quidam libellus, id errori obnoxium est. Nec n. sequitur, hoc est in
Formula Concordiae, & Corpore Prutenico: Ergo est verum. Sed hæc
 licentia *syncretistica* bonis omnibus merito suspecta. Qui bo-
 nis atque privilegiis *Ecclesiae* fruuntur, omni jure *symbolis* ejus-
 dem utuntur. Sicut igitur *Hereticis* non tantum, sed etiam
Syncretistis *Ecclesiae* *symbola* sudes in oculis sunt, ita multam
 utilitatem veritatis *Confessoribus* pariunt. Et cum hodie *Syn-*
cretistica Thais, alto supercilio *Doctrinae* consensum publicum
 atque *symbolicum* despiciens, passim à procis suis exornetur:
 hoc è contra *Doctorum orthodoxorum* Studium non postremum
 esse decet, ut *symbolicus Doctrinae consensus*, in *Verbo Dei* funda-
 tus, è *Verbo Dei* per *symbola* constitutus, sincerè custodiatur, *sym-*
bolorum auctoritas asseratur, & *Doctrina* publica *Symbolorum*
 omnibus familiarissima reddatur. Ea de causa nunc IN DO-
 MINO JESU, præsens institutum aggredimur, & ad repetitionem
Doctrinae caelestis, vel Articulorum Fidei præcipuorum Symbolicam,
Ecclesiae Lutheranae publica voce, vel auctoritate munitam, ac
 in *Articulis Schmalcaldicis* nobis oblatam, accingimur. *Deus*
Autor & Custos Veritatis, qui *Verbum Veritatis, Symbolum Doctri-*
nae Caelestis authenticum atq; *primarium*, olim *Ecclesiae* revelavit, eiq;
ministerio Doctorum ex *Verbo suo* varia *Symbola, Veritatis* testimo-
 nia publica, donavit, *Spiritu Veritatis* nos paterne regat, ut *verita-*
tis symbolis constanter adhareamus, omnes *syncretisticas confusiones*
studiosè fugiamus, lupinis hereticorum incurstationibus & vulpinis
falso

falsorum fratrum machinationibus masculè contradicamus, & pro Veritate, sub Veritatis Principe, bella Domini geramus!

1. *Capita fidei præcipua, secundum Articulorum Schmalcaldicorum ordinem, brevi quadam ac perspicua methodo, repetituris, non inconcinnum erit, universam hujus tractationis epystolæ ad scriptum Ecclesiarum nostrarum publicum, quod in Concordiæ libro continetur, revocare: tum quia scriptum hoc propterea Concordiæ libro cum aliis insertum est, ut publicis usibus inservire posset; tum quia totum illud scriptum cum omnibus suis particulis autoritate publica munitum; tum quia rectius atque majori cum autoritate docetur ex publicis Ecclesiæ, quam ex privatis Doctorum scriptis; tum quia peculiaris obligationis vinculo tenemur ad librorum istorum publicorum frequentiore relectionem, explicationem, & repetitionem.*

2. *Juxta publicum illud Articulorum Schmalcaldicorum scriptum, duas tractationis nostræ partes constituimus, alteram Generalem, alteram Specialem: illa complectitur tractationis apparatus, hæc ipsum doctrinæ tractatum: illa brevem tradit Isagogen, adeoq; pars Isagogica rectissimè vocari potest; hæc ipsam Doctrinam, adeoque capita Dogmatica proponit, & non sine causa pars Dogmatica nuncupatur: illa communia notat, hæc specialia declarat: illa causas & alia præcognita producit, hæc ipsos articulos fidei juxta peculiarem ordinem introducit.*

3. *Pars tractationis generalis duplici potissimum ratione Generalia sistit, eorumque notitiam lectoribus offerre contendit, & per Definitionem, & per Divisionem, quæ cõmuniter ad præcognita referuntur: illa Naturam exponit, hæc Oeconomiam ostendit. Definitio tractatione tum breviori, per Inscriptionem, tum prolixiori, per ipsam Præfationem proponitur & illustratur. Inscriptio p. 298. Libr. Cõcord. hæc legitur: Articuli Christianæ doctrinæ, qui à Nostris Concilio, si quod vel Mantuæ, vel alibi congregandum fuisset, exhibendi fuerant, indicantes, Quid recipere, vel concedere possemus, & quid non: scripti à D. Martino Luthero Anno 1537.*

4. *His Inscriptionis verbis capita generalia præcipua n. rata quilibet deprehendere poterit: nos Causas & Adjuncta saltem*

allegabimus. *Causa duplicis sunt generis, alia videl. interna, alia pariter externa. Sunt a. Interna (1) Causa Formalis, quod sint Articuli, quia per modum Articulorum Didacticorum in hoc symbolo capita fidei proposita sunt. Intelliguntur a. articuli non absolute Theologici, sed comparate Symbolici, quia totum hoc scriptum est Symbolicum, adeoque partes ejus non possunt formaliter esse non Symbolicae. (2) Causa Materialis, quia dicuntur Articuli Christiana doctrina, cum ipsam Christianam doctrinam materialiter exponant, & circa eam proponendam, tanquam circa proprium objectum, occupati sint. Externarum causarum alia finalis, quare scil. hi articuli primum consignati sint, nim. ut Concilio, si quod vel Mantua, vel alibi congregandum fuisset, exhiberentur, indicantes, quid recipere, vel concedere possemus, quid non? Alia Efficiens, quae partim est Principalis olim considerata, nim. Ecclesia Lutheranorum. quia Nostri, vel Ecclesiae Nostrae Principes & Doctores hos articulos Concilio, nomine totius Ecclesiae, proponere voluerunt: ἑκδικῶς ἢ μετὰ ἑκῶς sunt Elector Saxoniae, Principes atque Status Imperii Protestantes, quorum auspicio vel auctoritate B. Lutherus hos articulos primum conscripsit, eosque postea reliquorum Theologorum censuris subjecit. De quibus mox plura dicentur: Partim Instrumentalis, quia scripti sunt à D. Martino Lutero, praecipuo tum temporis orthodoxae Ecclesiae Doctore, qui jussu Statuum hos articulos Schmalcaldiae consignavit, ut testis est Praefatio. Adjuncta specialiter tria recensentur (1) Motivum vel Occasio, quae fuit indictum Concilium, quia praesentes articulos occasione Concilii Nostrates conscribere voluerunt (2) Subiectum, quod est Ecclesia Lutheranorum, quia Nostrorum Symbolum factum est. (3) Tempus, quod anno 1537. conscripti sint.*

5. Ex his Inscriptionis capitibus de Natura Schmalcaldicorum Articulorum uberius differemus, & paulo plenius Definitionem hujus symboli proponemus. De, initio Quaestionem An sit materialiter supponit, Quaestionem Quid sit formaliter includit. Dari Schmalcaldicos Articulos, de eo nullum dubium. Nam Articuli tales superiori seculo B. Lutheri ministerio consignati, ab aliis Theologis relecti, examinati atq; subscripti, à Statibus Protestantibus approbati,

probati, ad Ecclesiae cōmunē usum recepti, ac unanimi suffra-
gio *Lutheranorum* inter *Ecclesiae Symbola* numerati, & in unam
Concordiae corpus, cum aliis libellis *Symbolicis*, relati fuerunt. Te-
stes in hujus assertionis fidem adducimus ipsos *Protestantes*
Status, qui juxta *præfat. Lib. Concord. §. Eam 4. doctrinam*, & cla-
rissimam assertionem p. 571. & passim alibi, modò dicta com-
probant.

6. *Definitionem*, quoad capita præcipua, suppeditat ipsa
Symbolica Inscriptio, qua de causa non tam nostris, quam *Inscri-
ptionis* verbis eam potissimum formabim⁹ h. m. *Articuli Schmal-
caldici sunt Ecclesiae Lutheranae Symbolum*, occasione *Concilii à Pon-
tificæ Rom. indicti*, singulari *Dei consilio*, *Principum Protestantium*
autoritate & jussu, *B. Lutheri ministerio de præcipuis Christianæ*
doctrinæ articulis ex sacra Scriptura in Conventu Schmalcaldico
*anno 1537. breviter adornatum, à Doctores examinatum, à Prin-
cipibus Protestantibus approbatum atq; confirmatum, & cōmuni*
subscriptione Theologorum obsignatum, ut à Lutheranis in futuro
*Concilio exhiberetur, & per illud quid, vel quid non, recipere, vel con-
cedere possint, indicaretur.*

7. *Hæc Definitio*, potissimum ex *Inscriptione* hujus *Symbo-
li* constituta, duo complectitur (1) *Definitum*, quod termino
cōplexo, quoad vocem, exprimitur, & *Articulorum Schmalcaldi-
corum* titulo comprehenditur. *Articuli* vocantur termino *satis*
congruo, quia particulas hujus scripti *symbolici* notant, totumq;
symbolum per certos articulos constituunt; termino *usitato*, quia
sicut *Symbolum Apostolicum, Augustana Confessio, Apologia, & a-
lia scripta tam publica, quam privata* communiter doctrinam
cælestem articulis certis exponunt, sic etiam in hoc *symbolo B.*
Lutherus certos articulos adhibere voluit; termino *analogico*,
quia sicut *corpus Physicum* certis artibus & articulis constat, ita
corpus Didacticum, vel Symbolicum, partibus majoribus & mino-
ribus, artibus & articulis, absolvitur. Hoc pacto *Schmalcaldicum*
hoc *symbolum*, tanquam *doctrinæ Christianæ corpus*, partes *Majo-
res* tres, & sub his plures *minores, vel articulos*, complectitur. Nō-
nulli quaerunt *analogiam* in articulis *grammaticis*, qui sunt prin-
cipia *distinctionis & notæ demonstrationis*; sic etiā articuli *Schmal-*

schaldici sunt principia distinctionis, cum instar symbolorum orthodoxos ab heterodoxis, Catholicos à Papistis, distingvant: sunt etiam nota demonstrativa, quia indicant, quid sit orthodoxum & heterodoxum in allegatis doctrinae capitibus, quid itidem in doctrina sit recipiendum, quid rejiciendum.

8. *Schmalcaldici* verò dicuntur ab oppido *Tburingie*, quod frequentioribus *Protestantium* conventibus superiori seculo celebritatem accepit. Et talis etiam *Conventus* anno 1537. quo præentes articuli primum consignati fuerunt, *Schmalcaldia* institutus erat. Hinc *Schmalcaldici* vocantur (1) propter locum, *Synodicae congregationis*, quia *Schmalcaldie Synodus* illa coacta fuit, in qua primam articuli citati lucem viderunt. (2) propter locum publicæ consignationis, quia *Schmalcaldie B. Lutherus* istos articulos autoritate publica consignavit. (3) propter locum publicæ relectionis & examinationis, quia *Schmalcaldie Dd* hos articulos autoritate publica perlegerunt & examinarunt. (4) propter locum principalis approbationis, quia *Schmalcaldie* statim à Principibus articuli consignati & examinati fuerunt approbati. (5) propter locum *synodicae subscriptionis*, quia mox post consignationem, relectionem & examinationem, articuli hujus Confessionis ab omnibus Theologis præsentibus, *Schmalcaldie* subscripti sunt. (6) propter usum *Symbolicæ distinctionis*, ut peculiari nomine *Symbolum* hoc ab aliis libellis *Symbolicis* distingveretur, proprioque nomine designaretur. Sicut igitur *Nicenum Symbolum*, *Augustana Confessio*, *Concordia VVittebergensis* &c. à locis denominationem acceperunt: sic etiam *Articuli* præentes à loco *Schmalcaldici* rectissimè nuncupantur.

9. *Definitio* constat (1) genere tum remoto, quod est *Symbolum*. Licet n. cum *Papistis* negent etiam *Calviniani Schmalcaldicos* articulos *Symbolum* verum esse. Vid. *Cassel. Wechelschrifti* p. 284. *Adm. Neostad.* p. 152. &c. tamen quod revera *Symbolum* sint, apparet ex *Symboli definitione, constitutione, requisitorum consideratione, sine* &c. *Symbolum* verò non intelligimus *Papisticum*, aut *Calvinisticum*, vel *Catholico-Syncretisticum*, quod hæreticis variis etiã sit accommodum, sed *orthodoxum & Lutheranum*, unde quoad proximum genus *Ecclesie Lutheranae Symbolum* appellatur, quia terminus hic incompletè, sed in quid, non tantum de *Schmalcaldicis*

arti-

articulis, sed etiam de *Confess. August. Apologia, Catechismis Lutheri &c.* prædicatur. Quod a. *Articuli Schmalcaldici Symbolum Ecclesie Lutheranae* genuinum inferant, probatur (1) à *causa Efficiente principali*, quia *causa Principalis Articulorum Schmalcaldicorum* est *Ecclesia Lutheranorum*, per *conventum Statuum Protestantium, Schmalcaldiae congregatorum*, representata, quorum jussu vel autoritate, adeoque communi *totius Ecclesie* nomine, scriptum hoc fuit consignatum: non igitur unius Doctoris, nec unius Ditionis, sed omnium provinciarum & Ecclesiarum Lutheranarum commune scriptum est, ac proinde verè *symbolicum*. (2) à *Causa efficiente Ministeriali*. Nam *B. Lutherus*, ceu communis ultimarum temporum *Reformator*, non tantum publico nomine præsentibus articulos in usum Concilii publicum conscripsit, quod *præfatio* testabitur: sed etiam omnium, vel ad minimum *præcipuarum Ecclesiarum Lutheranarum Doctores, Schmalcaldiae congregati*, subscriptione sua eosdem confirmarunt, & *Symboli* cõmunis instar approbarunt. (3) à *causa formali*. Nam communis doctrinæ cœlestis juxta *S. L.* consensus, à Doctoribus orthodoxis publicè constitutus atque receptus, *symbolum formaliter* infert: hunc etiam *Schmalcaldicis articulis* esse concedendum, ex historia liquet. (4) à *causa Materiali*. *Materia Symboli* cujusdã sunt *articuli fidei*, cõmunibus suffragiorum testimoniis confirmati, sicut ex inductione patet. Tales etiam sunt *Articuli Schmalcaldici*. (4) *ex causa finali*, quæ verè *Symbolica* fuit: liquidem hoc *Symbolum* communi consilio fuit adornatum eum in finem, ut in futuro *Concilio consensum orthodoxorum cum scripturis, & inter sese, dissensum autem à Papis & ab aliis heterodoxis*, tanquam publicum *symbolum*, ostenderet. Huc etiam faciunt *Symboli elogia, symboli requisita, symboli adjuncta, symboli effecta, antecedentia & consequentia*, quæ omninò demonstrant, *Articulos Schmalcaldicos* verissimè *Symbolum Ecclesie Lutheranae* dici. Confer. *testimonium publicum Doctorum*, quod his articulis annexum legitur p. 356.

10. (2) *Differentia* complectitur (1) Hujus *Symboli occasionem*, quæ *causas impulsivas* exponit. Est a. *alia* *ἡ ἐξωτερικὴ*, vel *Externa*, quæ exterius *Lutheranos* movit, ut tale quoddam scriptum in usum communem adornarent. Fuit a. *impellens causa*, *Protestantes extrinsecus* movens, *alia generalis*, nim. *Concilii Papalis Indictio*. Quod n. *Conciliū futurū* his articulis conscribendis *occasionem* dederit, præter *historiam*, tum *inscriptio*, tum *præfatio* testantur: *alia Specialis*, tum *respectu Romani Pontificis*, *Doctrinae Lutheranae condemnatio*, quam denuo literis indictmentis inseruerat *Paulus III.*

B

sicut

sicut apud Sleidan. l. 11. p. 318. Protestantes hanc occasionem ipsimet allega-
runt: Pontifex indicti quoque Concilii causam hanc esse profiteretur, ut nuper na-
ta hereses extirpentur. Et quanquam id late patet, tamen dubium nullum est,
quin de nostra sentiat doctrina. Nec n. de suis ipsum erroribus loqui, credibile
est: imò post aliud emisit diploma de Rom. Curia reformatione, in quo clavis
verbis profiteretur, eò convocari Concilium, UT HÆRESIS PESTIFERA LU-
THFRANA tollatur. Confer. p. 302. Ut ab hac injusta condemnatione do-
ctrinam suam Protestantes vindicarent, hos articulos juxta Scripturam S.
consignari curarunt, quo cunctis iniquitatem Papalis condemnationis a-
perirent. Deinde fraudum Papalium observatio, quia varias Pontificis frau-
des, tum ex Actis cum Petro Paulo Vergerio, tum ex publicis indicti concilii li-
teris, aliisque Diplomatum Papalibus, tum ex aliis factis ac indiciis obser-
varunt, ideo Doctrinam suam repetere certis articulis, eosque Pontificis
fraudibus opponere decreverunt, ut ingenuus ipforum candor in omni-
um oculos incurreret. Denique Potestatis papalis repudiatio. Hic n. in Con-
cilio presidis & judicis personam sustinere constituerat, quod Protestantes
nullatenus concedere poterant. His igitur Articulis demonstrare volu-
erunt, P. R. alteram litigantium esse Partem, & Lutheranorum adversarium,
adeoque nec ipsum, nec ejus Cardinales, vel Episcopos, Concilio præsidere
posse. Hinc apud Sleidan. Heldo, Legato Caesaris, respondent p. 303. Licet ad-
versarii personam Pontifex gerat, arrogare tamen sibi potestatem judicis, omni-
nò præter fas & æquum, in eoque consentientes habere reliquos omnes, qui jure-
jurando sint ipsi multisque modis devincti &c. Confer. p. 315. Tum Respectu Cæ-
saris, qui per Heldum, Procancelarium, ad Protestantes legatū, hoc in primis
urserat, ut Concilium Pontificis Protestantes approbarent, & vel ipsi, vel per
suos legatos, Mantuam ad Concilium venirent. Huc accedebat tacita qua-
dam accusatio, quam Heldus, nomine Caesaris, adjecerat apud Sleidan. p. 299.
Si (Protestantes) recusent concilium, & excipiant, & procrastinent, arbitrari
Cæsarem futurum, ut & res pulcherrima, tanquam in medio cursu, tardetur, &
exteri quoque suspicionem de ipsis concipient, quasi perturbationem reipubl. ma-
gis, quam pacem & otium ament. Denique Intentionis Imperatorie commen-
datio, quam itidem Protestantibus Heldus proposuerat, quod videl. Cæsar
eò solum spectet, ut gloria Dei celebretur, & hominum saluti consulatur. Conf.
p. 306. Ne proinde Status Protestantes vel obsequium Imperatori derogasse,
vel ullam accusationibus iniquis ansam dedisse, aut laudatissime Cæsaris
intentioni defuisse viderentur, summam ad Concilium promittunt in
in eo

in eo testati sunt, quod articulos doctrinae suae conscribi fecerint in usum Concilij publicum, si modo piū, legitimū, Christianū & liberū, quale semper à se postulatum ac ab Imperatore promissum esset, Concilium institueretur. *Speciales quoq; cause moventes fuerunt Calumniae variae Papiſtarum, de falsitate, novitate, incertitudine vel mutatione doctrinae*: hac igitur nova repetitione *Schmalcaldicorum articulorum Protestantes* demonstrare voluerunt, suam in S.L. doctrinam fundatam esse, nec aliam ullam à se doctrinam admitti, quam *Augustae Vindelicorum in Augustana Confessione* sit exhibita.

ii. Alia v. *ἡ ἐπισημειωμένη*, vel interna, quae Lutheranos intrinsecus lab intra commovit, ut novum hunc libellum *Symbolicum* adornarent. Est a. iterum alia generalis, videl. amor & cura religionis tum explicandae, tum conservandae, tum propagandae, tum confirmandae, tum defendendae, cujus impulsivae cause documenta quā plurima tum *historia Schmalcaldicorū Actorū*, tū ipsa forma *Schmalcaldicorum Articulorum*, exhibent. Specialis alia tum respectu Principum, sive Statuum, quos movit Concilij Desiderium, quod saepius postulaverāt, & Imperatori debitū obsequiū, quod omnibus modis atq; mediis, quoad per Conscientiam licebat, Cæsari probare contendebant: Tum respectu Doctōrum, quos movit Superiorum mandatum, cujus praefatio meminit, demandatum officium, cujus causa doctrinam cœlestem toties repetere debebant, quoties Ecclesiae necessitas id exigebat, & constantis atq; consentientis doctrinae testimoniū, ut nim. de doctrinae suae constantia atq; cōsensu testarētur, Principes ac alios in religionis negotio confirmarent, adversarios a. de dissensu & inconstantia Doctōrum Lutheranorum gloriantes, coram omnibus confunderent.

12. (II) *Causarum enumerationem*, de quibus brevissimis agemus, quia complectitur *Definitio* (I) *Causam Efficientem*, eamq; tū principalem, videl. *Causam Primam*, quae Deus est, omnium symbolorum principalis Autor & conditor: sic etiam singulari Dei providentia, vel consilio factum est, ut Principes Protestantes in omnibus religionis negotiis debitam contra veritatis hostes, cum primis P. Romanum, vigilantiam adhiberent, & maturè de scripto publico, l. symbolico, in futuro Concilio offerendo, consilia conferrent: Et *Causam secundam*, quae nomine Statuū Protestantium exprimitur. Ut n. *Ecclesia symbolorum est causa*, sic *Ecclesiam* suarum Ditionum Principes l. Status repræsentabant. De hac causa Principali, ut & de *Instrumentali*, quae mandatum Statuum, & Ministeriali, seq. disp. pluradicemus.

13. (II) *Causam Materialem*, quam juxta communissimas differentias definitis notare videtur. Est n. alia Materia circa quam, sic objectum articulo-
rum Schmalcaldicorum vocatur *Christiana doctrina*, quia *symbolum* hoc
circa *Christiana religionis capita* versatur, partim θετικῶς, quoad doctrinam
veram repetitionem, partim ἀντιθετικῶς, quod erroneam doctrinam rejectionem:
partim πρώτως & ἀμέσως, quando principales articulos fidei notat cum a-
liis doctrinalibus fidei capitibus, partim δευτέρως & ἐμμέσως, sic etiam de
Confessione, Excommunicatione, traditionibus humanis &c. agit. Alia Mate-
ria ex qua, quæ κατ' ἀναλογίαν etiam hic adducitur, & est vel prima, videl.
Articuli doctrinae precipui, quia sicut per articulos, ceu partes, materialiter
aliàs totum constituitur, sic etiam corpus hoc symbolicum per certos articu-
los materialiter absolvitur. Alia Materia in qua, vel subiectum, quod vel est
immediatum, *Conventus* videl. *Schmalcaldicus*, quia in conventu Schmal-
caldico primū articuli consignati, lecti, recepti sunt: vel mediatū, quod est
Lutheranorum Ecclesia, quæ postmodū hos articulos, tanquam commune
Symbolum, recepit, non equidem receptione simulata, sed infucata, non con-
ditionata, quemadmodum *salvis salvandis* vel aliis restrictionibus dolosis
adhibitis, *Calviniani* præsentis articulos recipiunt. Vid. *Gieß. Wiederleg.*
p. 619. sed verè *Christiana & Catholica*.

14. (III.) *Causam Formalem*, quæ tribus actibus in descriptione nota-
tur, & declaratur (1) per *Symbolicam & publicam adorationem*, quia publica
Statuum autoritate cōsignata. (2) per *Symbolicam atq; publicam approbationem*, quia
publica *Statuum Protestantium*, atque *Doctōrū Congregatorum suffragia*
libellus hic accepit. (3) per *symbolicam atq; publicam subsignationem*, quia
congregati *Doctōres unanimi consensu* laudatos articulos mente & ma-
nu subscripserunt, & instar *Ecclesiastici Symboli*, eosdem receperunt. Ex his
n. actibus formalibus *Articuli Schmalcaldici* suum possident esse formale,
ut vere libellum *Symbolicum nostrarum Ecclesiarum* constituent: suum distin-
gui formale, quia propterea tum à *B. Lutheri*, tum ab aliorum *Doctōrum*
privatis scriptis distinguuntur: tum *openari formale*, quia propterea *locum*
publicum inter *Symbola, usum publicum* (cum, juxta *præfationem, unanimi*
consensu decretum fit, ut concilio publicè offerrentur) & *titulum publicum*, ut
fidei Lutherane publicæ Confessio dicerentur, omniū consensu acceperunt.

15. (IV.) *Causam finalem*, quæ duplex (1) *Conciliaris oblationis*, ut à No-
stris in Concilio offerrentur. (2) *Conciliaris indicationis*, ut indicaret, quid,
vel quid non recipere, vel concedere possent. De quibus ulterius nihil
addere licet.

VO 17

